

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
CONSTANS MISCELLANEIS

Ex

JURE CIVILI, CA-
NONICO ET FEUDALI,

QVAM

Ex Decreto & Authoritate

MAGNIFICI atq; CONSUL-
TISSIMI JURISCONSULTO-
RUM ORDINIS

IN

REGIA UNIVERSITATE ARGENTORATENSI
PRO CONSEQUENDIS

IN UTROQUE JURE SUMMIS
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOGTORALIBUS.

P R Æ S I D E

Supremo Juris Arbitrio

PROPUGNABIT,

Ad Diem XIII. Octobr. An. M DCC XXI.

CAROLUS XAVERIUS KLIE,
Colmariensis.

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS PASTORII,

Diss. jur. civ.

61, 28

Diss. jur. civ. vol. 249 (2)

DEO
OPTIMO
MAXIMO
FAUTORIBUS
ET
AMICIS.



EX JURE CIVILI.

De Pignoribus.

§. I.

Propter mutuum hominum inter se diffidentiam & ad arcendum à creditoribus justum quandoque metum Pignora & Hypothecæ introduci cœpere. Est autem Pignus vel Hypotheca Jus in re Creditori in securitatem debiti constitutum. Pignus vulgò ein Handhabendes Pfand/ hypotheca, ein Unterpfand. Requisita ejus sunt (1.) ut legitimè constituatur, (2.) ut debitum verum adsit, *L. 5. ff. de pign. & hypoth.* (3.) ut securitatem præstet Creditori, qua propter ejusmodi res oppignorantis propria esse debet; cujus rei effectus est, ut Creditor hypothecam actionibus competentibus nimirum hypothecaria & aliquando actione personali utili consequi possit, *L. 13. §. 2. ff. de pign. & hyp. l. 18. l. 20. ff. de pign. act.* ut liceat creditori pignus retinere etiam pro alio quovis debito. *L. 13. §. 6. ff. de pign. & hyp. &c.*

A 2

§. II.

§, II.

Pignora vel sunt publica vel privata; illa constituuntur tum voluntate partium, tum necessitate; Priora dicuntur, quæ in iudicio apud acta fiunt vel coram tribus testibus expediuntur, *L. 11. C. qui pot. in pign.* Solis principis confirmatio illa non reddit publica: Ex necessitate inducuntur tum per legem, tum per iudicem, & hæc sunt vel judicialia vel prætoria, quorum diversus est effectus. Privata efficit vel unius vel plurium voluntas; ad illa referendum pignus testamentarium, *L. 26. pr. ff. de pign. act.* Horum est conventionale, si tantum conventio adest, vocatur Hypotheca *L. 4. ff. de pign. vel hyp.* si traditio accedit, pignus dicitur, *L. 238. ff. S. V. S.* Porro pignora vel sunt generalia, quibus omnia bona debitoris afficiuntur, futura quoque *L. ult. C. quæ res pign.* vel specialia quæ certa duntaxat bona obligant, *L. 1. §. 1. l. 15. §. 1. ff. de pign. & hyp.* utraque si conjunguntur, generalis est in subsidium, *Stryck. de Contr. Caut. L. 11. c. 4. §. 17.*

§. III.

Pignus tacitum seu Legale constituitur lege consuetudine, moribus quoque nostris, & tunc concernit vel omnia bona vel quædam tantum, illius generis habet (1.) Fiscus in bonis administratorum debitorum *L. 46. §. 3. ff. de jur. Fisc.* non tamen respectu omnium causarum. (2.) uterque conjux in bonis alterius tum pro dote restituenda, tum petenda, *L. un. §. 1. C. de R. V. Act.* hoc jure censetur quoque uxor putativa. (3.) Pupilli & minores in bonis Tutorum & Curatorum *L. 20. C.*
de

de adm. tut. In bonis pecunia illorum emtis. *L.* 7. *pr. ff. qui pot. in pign.* In bonis Vitrici. *L.* 6. *C. in quib. caus.* (4.) Liberi in parentum bonis, si ad secunda vota transeunt, *L.* 6. *C. de Sec. Nupt.* propter bona adventitia. *L.* 6. *C. de bon. qua Lib.* (5.) Legatarii in bonis defuncti pro consequendo Legato, §. 2. *de Legat.* *L.* 1. *C. com. de Leg.* Pignus tacitum particulare habent. (1.) qui credidit in refectionem *Ædium*, *L.* 24. §. 1. *ff. de Reb. author. jud.* hoc non extenditur ad reparationem aliorum immobilium, quamnis ejusmodi creditor jure prælationis gaudeat, si expresso pignore sibi prospexit, *L.* 5. 6. *ff. qui pot. in pign.* *L.* 26. *ff. de Reb. author. jud.* (2.) Locator in invec̄tis, & illatis, in prædium urbanum, perpetuo ut ibi maneant pro mercede, *L.* 5. *C. in quib. caus.* *L.* 4. *pr. ff. in quib. caus.* (3.) Locator prædij rustici in fructibus, *L.* 4. *pr. ff. in quib. caus.* sed hoc non concernit illata; hinc expressa hic oppignoratio necessaria est, *L.* 5. *C. in quib. caus.*

§. IV.

Res quæ pignori supponi possunt debent esse (1.) alienabiles, (2.) in patrimonio debitoris, (3.) utiles. Hinc non excluduntur incorporales, nec Liber homo in casu, *L.* 15. *ff. de Capt. & postlim.* Hypotheca in feudo subsistet in præjudicium Vassalli, ejusque descendentium, alias vero indistinctæ valebit, si accesserit consensus domini & si sit antiquum, agnatorum. Respuunt Oppignorationem bona fideicommissis obnoxia, arma militum, *L.* 14. §. 1. *ff. de re mil. instrumenta rustica*, *L.* 7. l. 8. *auth. agricultores C. quæ res pign. obl.* Res aliena, nisi do-

dominus consentiat, *L. 26. §. 1. ff. de pign. & hyp.* si conditione pignorentur si res mea facta fuerit, *L. 16. §. 7. ff. eod.* jus in iis habeat debitor, *L. 3. §. 1. ff. qui pot. in pign.* vel is dominium illarum ex post facto consecuturus sit, *L. 41. ff. de pign. act. L. 22. ff. de pign. & hyp.* Servitutes reales, quia tertio Creditori nullum præstare usum possunt. *L. 11. §. ult. ff. de pign. & hyp.* Interim tamen de novo alteri servitus constitui potest, *l. 12. ff. eod.*

§. V.

Creditores vel sunt potiores ex privilegio quorum pignori annexum est vi legis jus prælationis qui omnibus simplicibus hypothecariis anteponuntur, *L. 7. C. qui pot. in pign.* quales sunt Fiscus, uxor, Creditor in refectionem ædium, pupilli & minores quorum pecunia res emta est, & hi utuntur prioritate temporis inter se, *L. 2. L. 8. C. qui qui pot. L. 7. ff. eod.* ita tamen ut prærogativa illis sit salva qui ad primam classem referuntur. Quoad ordinem hypothecarij in tertia classe constituti anteferuntur ex prioritate temporis, *L. 11. pr. ff. qui pot. in pign.* discrimine interim habito inter publicum & privatum pignus, hoc qui habent postponuntur illis qui respectu temporis locum sortiuntur, *L. 11, C. qui pot.* In privato pignore quoque observatur prærogativa temporis, si pluribus res eadem sit obligata simul, melior est causa possidentis, alias si neuter possideat habebunt æquale jus. *L. 16. §. 8. de pign. & hypoth.* posterior creditor quandoque obtinet jura prioritatis, si priori Creditori satisfaciat, aut, si pe-

si pecuniam accipere renuat, legitime deponat,
*L. 1. C. qui pot. L. 12. §. 6. ff. eod. L. 22. C. de pign.
 & hypoth.*

§. VI.

Ut Creditori ad securitatem satisfiat, permittitur
 ipsi distractio, cujus facultatem nunquam habet
 debitor quamvis, dominus sit, maxime si pignus
 sit speciale; potest autem Creditor distrahere vel
 Jus pignoris, quod nunquam ipsi denegatur vel
 ipsam rem oppignoratam. Requiritur autem in
 distractione (1.) ut debitor in solutione moram
 committat, *L. 7. l. 14. C. de distract. pign.* (2.) ut
 distrahatur juxta modum conventum solenni-
 ter, *L. 9. l. 7. de distr. pign.* præeunte denuncia-
 tione, præsentibus testibus expectato biennio,
 quod fere hodie ab usu recessit, *Mevius l. VII. de-
 cis. 310. n. 4. 6.* publica indicatione quod res ve-
 nalis sit interveniente, *L. 4. C. de distr. pign.* (3.) ut
 distrahatur bona fide, nec collusio adsit, *L. 3. C.
 si pign. vendatur.* Hinc debet distrahi quanti potest
 & tunc superfluum vel hyperocha restitui debi-
 tori, *L. 24. §. 2. ff. de pign. act.* Hinc *L. 10. C. de
 distr. pign.* optime consuluit. Debitoribus ne Cre-
 ditor per subornatam personam ipse emere pos-
 sit, nisi vel magistratus vel ipse debitor illud ven-
 ditioni exponat. Hinc quoq; in subhastationibus
 solent amicos adhibere qui semper plus offerant;
 donec justum appareat pretium. Si quid doli in
 alienatione intercesserit, Creditor eo nomine te-
 nebatur ad interesse. *L. 4. l. 7. C. de distr. pign.* (4)
 ut distractio denique fiat debito ordine scilicet, ut
 pignus speciale prius alienetur, quam ad cætera
 de-

deveniatur bona, L. 9. C. de distr. pign. L. 2. de pign. & hypoth.

§. VII.

An Lex Commissoria in pignoribus locum habeat, quaeritur, id est, quando ita convenit ut nisi debitor ad diem praefinitum solvat pignus tum sit commissum h. e. quoad dominium creditori acquisitum. Hoc pactum improbatur, L. fin. C. de pact. pign. & praesumitur regulariter esse furarium, Philipp. usupract. Inst. Lib. II. Ecl. 41. Also gehet das nicht an / das Pfand soll ihm verfallen seyn / allein dieses / er soll es öffentlich an den gewöhnlichen Orthen / v. g. dem Rathhaus feil bieten / findet sich kein Käufer / alsdann soll er es behalten. Excipitur quoq; si expresse partes convenerunt ut si pecunia ad diem praefixum non solvatur, res pignorata tunc justo pretio emta sit, L. 16. §. fin. ff. de pign. & hypoth. L. ult. C. de J. Dom. impetr. justo pretio addimus, soit en justice ou de gre a gre & avec la liberté au debiteur ou de laisse le gage a ce prix payant le surplus s'il ne suffit pas ou le faire vendre aux enchers ou de le retirer en payant la dette. Et si le debiteur prend ce dernier parti le juges pourra Regler dans quel temps il D'eura payer. Aut. des Loix Civiles III. 1. 3. §. 11.

§. VIII.

Hypothecæ vel pignora solvuntur (1.) debito principali sublato, modo creditor integrum accepit, L. 5. l. 14. ff. quib. mod. pign. cum usuris, L. un. C. etiam ob chir. pec, (2.) Remissione quæ vel est expressa, L. 8. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel tacita v. g. si debitori pignus reddatur, L. 3. ff. de pact. l. 7. C. qui-

C. quibus modis pign. nisi de alia mente constet, L. 3. ff. de pign. act. (3.) Interitū rei oppignoratae totali L. 8. pr. ff. quib. mod. pign. vel mutatione speciei, wann der Creditor erlaubt/ daß man auß der verpfändeten Wolle lasse Tuch machen. (4.) Extincto jure debitoris quod in rem suppositam habuit, L. 31. ff. de pign. & hyp. L. 3. ff. quib. mod. pign. (5.) Tempore si hoc tanquam terminus ad quem adjectum, L. 6. pr. ff. quib. mod. pign.

EX JURE CANONICO.

De Decimis.

§. I.

EX materia Beneficiali placuit præcipue eligere antiquissimum & tam Autoris divini dignitate conspicuum quam usu frequentissimum de decimis argumentum, quæ mediam quandam inter Res spirituales & temporales constituit, cum Jus ipsum spirituale sit, fructus autem inter temporalia referantur. Definiuntur autem Decimæ quod sint quota fructuum vel proventuum portio Deo debitæ, & hoc instituyente ejus ministris propter spirituale ministerium præstanda, *C. 10. X. de dec. c. 26. X. eod.*

§. II.

Optime sibi constat divisio decimarum in prædiales sive reales & in personales, quam manifeste quoque approbat summus Pontifex *C. 20. X. b. t.* priores quæ de terræ fructibus persolvuntur, iterum abeunt in Majores, den grossen Zehenden / & minores, den kleinen. Majores præstantur ex
B
fru-

frumentis, vino; Minores ex hortis, foetura animalium, caseis, &c. Hujus subdivisionis meminerunt *C. 3. C. 30. X. b. t.* personales penduntur ex comparatis labore & industria hominum v. g. scientia, mercatura, imo omnibus quæstibus legitimis, *C. 20. c. 22. & C. 28. X. b. t.* Harum usus infrequentior & juxta *Besold. thes. pract. voc. Zehend.* omnium fere locorum desuetudine sublatus, Mixtam earum speciem, quicquid quidam dicant, neutiquam agnoscimus.

§. III.

Ipsa quidem recta ratio dicitur ministris Ecclesiarum aliquid deputandum esse, ut exinde se sustentent, id, quod comprobatur judicio quoque divino revelato, *Matth. X. 10. 1. Cor. IX. 14.* & in hoc sensu J. Canonicum asserit, Decimas esse juris Naturalis à Deo institutas & J. Divino introductas; *C. 2. caus. XVI. q. 2. C. 5. 6. caus. XVI. q. 7. c. 25. c. 14. X. de decim.* Sed ut præcise hoc consistat in decima fructuum parte hoc neque est juris Divini revelati cum illo nulla ratio adæquata dari possit, quare non potius duodecima quam decima portio adfignetur, nec quoad hoc in Testamento N. ullum præceptum invenitur; licet enim Deus *Levit. XXII.* Sacerdotibus attribuerit decimam partem, id tantum fecit tanquam Legislator Civilis, erat enim Regimen Theocraticum, & ista lex duntaxat forensis, & per consequens extincta cum Republ. Judaica nec obligatoria, nisi ex post secuta reassumptione. Secus si esset obligatio præstandi decimas non potuisset privilegio remitti, nec consuetudine tolli aut minui, quod tamen factum, ceu Regulares quodammodo à decimis

mis

mis solvendis eximuntur, *C. 10. X. de decim. c. fin. X. de privil. & plurimorum fructuum decimæ consuetudine omnino sublata sunt, approbante hujusmodi consuetudinem, c. 32. X. de decim.*

§. IV.

Solvunt autem Decimas omnes cujuscunque ordinis & dignitatis sint etiam Principes & Reges præcipue autem Laici, *c. 14. c. 24. X. de decim. etiam Judæi, c. 16. X. eod. c. 18. X. de usur.* quia hæc obligatio opus reale est & prædiis inhæret, adeoque ad quemcunque possessorem transit, *arg. c. 5. X. de pignor.* Clerici etiam & Parochi respectu prædiorum in aliena parochia sitorum & de illis bonis ac fructibus quos habent titulo ac jure seculari, v. g. ex patrimonio, hæreditate donatione, nam quoad hoc pro Laicis habentur, adeoque tametsi Episcopi & alij Prælati etiam exempti agros patrimoniales possideant, in aliena parochia, nihilominus ad Decimas obligentur, *c. 42. c. 44. caus. XVI. q. 1.* sed hoc non est extendendum ad illa bona quæ Clerici percipiunt jure ecclesiastico cujusmodi sunt fructus & proventus beneficiales de quibus intelligendus textus *c. 2. X. de Decim.* quod novo genere exactiois (i. e. nullo) Clericus à Clerico Decimas exigat: præstant insuper Decimas Monachi ac Religiosi tam exempti, quam non exempti de prædiis quæ ab aliis conduxerunt. *C. 8. X. h. 1.* Quemadmodum & de terris & possessionibus acquisitis hætenus & acquirentis solvere coguntur, *l. 3. c. 4. c. 34. X. eod. C. 2. §. cæterum eod. in 6.* generali tamen privilegio Religiosi non præstant Decimas de hortis & nutrimentis animalium, nec de Novalibus, auß den Neubreuchen/

quæ propriis manibus vel sumtibus colunt, c. 10.
X. b. t.

§. V.

Exemptio autem ab obligatione solvendarum Decimarum acquiri potest. (I.) Privilegio, non quidem principis Laici, c. 25. X. b. t. nec Episcopi, qui jus commune remittere nequit, sed solius Papæ 10. c. X. b. t. ejusmodi privilegia sive Clericis sive Laicis indulta strictam interpretationem capiunt, nec ad novalia extendenda imo si Ecclesiis damnosa ne Clerici se sustentare possint, ab Episcopis, locorum corrigenda, c. 31. X. de privil. c. 2. de Decim. in 6. Si ex post facto gravior læsio Ecclesiæ ex tali exemptione immineat, hunc casum Pontifex non censetur prævidisse neque de hoc cogitasse adeoque censendum est, eum, si prævidisset, istud privilegium non concessurum fuisse, c. 9. X. b. t. (2.) præscriptione quadragenaria conjuncta cum titulo cum minor contra Ecclesiam non admittatur, sine titulo autem temporis immemorialis, c. 1. de præscript. in 6. ubi occurrit illa quæstio, an & Laicus immunitatem à Decimis præstandis præscribere queat, non obstante quod jus decimandi præscriptione non consequi possit, quam affirmandam esse existimamus. (III.) Gratuita cessione aut compensatione ut si parochus decimas Religionis pro re sive jure aliquo spirituali, quo ad faciendas, v. g. functiones vel administranda Sacramenta in Ecclesia parochiali obligarentur, remitteret, c. 3. X. b. t. c. 2. c. 8. X. de transf. Sed altioris indaginis dubium est an hæc immunitas pro re temporali commutari possit. Ad id quod negandum esse ducimus propter c. ult.

L. de

X. de Rer. permut. non obstante, quod immunitas à solutione Decimarum nihil sit spirituale.

§. VI.

Pendantur autem Decimæ Ecclesiarum Parochis propter præstationem ministeriorum spiritualium, & habent isti fundatam intentionem etiam contra Episcopum cui proinde cum parochio concurrenti onus probandi incumbet, quod jus Decimarum vel ex privilegio, vel aliunde habeat, *c. 29. c. 30. X. b. t.* Quemadmodum contra quoad quartam decimarum, sive portionem Canonice etiam Episcopi intentio in Jure fundata est, *c. 16. X. de Offic. Ord. c. 3. X. b. t.* Si parochianus in diversis parochiis prædia possidet, aut in una parochia habitat, in altera vero agros habet, tum Decimæ personales (ubi in usu sunt) illi Parochio solvendæ sunt in cujus Parochia quis habitat & Sacramenta percipit, quamvis alibi negotiationem exercent, aut quocunq; modo lucrum acquirat, *c. 20. X. b. t. c. fin. X. de Paroch.* Quod attinet prædiales nihil est jure definitum, sed jubetur attendi consuetudo, *c. 18. c. 20. X. b. t.* interim rationi convenientius est, illas deberi illi Parochio, intra cujus fines agri & prædia sita sunt. quantumvis Dominus & Colonus illorum alibi Sacramenta percipiat. Cæterum solet disputari circa decimas novalium auß den Neuren und Neubruchen / cui debeant solvi, à breviter nos expediamus, si novalia accipiantur improprie pro novis agris & vineis redactis ex hortis, pascuis tunc debentur illi, cui antea competebant decimæ foeni, animalium, fructuum, imo etsi non fuerint hæ decimæ persolutæ, tamen deinde de-

bebuntur decimæ vinearum, agrorum novorum si vero Novalia fumantur proprie pro agris & vineis ex locis incultis, paludibus, sylvis &c. factis, tunc vel sita sunt intra certos parochiæ fines & competent loci parochio, c. 29. X. b. t. vel sunt uti sæpissime accidit in confinio Parochiarum, & tunc solum Episcopum pro Parochio loci habebunt & proinde decimæ ad ipsum spectabunt, c. 13. X. b. t. & ibi Panormitanus.

§ VII.

Aliquando Ecclesia contra Ecclesiam jus decimandi acquirit (1.) speciali Pontificiis concessione, c. 2. b. t. in 6. (2.) donatione c. 7. X. de his quæ fiant à præb. (3.) compromisso, c. 8. 9. de arbitr. (4.) transactione, c. 2. X. b. t. gloss. 16. c. 8. X. de transact. (5.) permutatione, c. 6. & ult. X. de rer. permut. (6.) unione, unius Ecclesiæ cum alia, arg. c. 33. X. de præbend. (7.) præscriptione, c. 6. c. 8. X. de præscript. & auth. quas actiones. C. de SS. Ecclesiis. Cæterum de Jure Canonum Laici incapaces sunt juris Decimandi, cum sit jus spirituale, c. 15. c. 17. X. de Decim. Beneficio tamen Pontificis hoc jus ipsis tribui potest, & severitati Canonum Mores hodierni jamdudum derogaverunt, debentur autem decimæ quoad modum statim fructibus collectis hoc est à solo separatis, c. 7. c. 22. X. b. t. id quod conforme est. Exod. XXII. 66. caus. XVI. q. 1. non requisito parocciano deinde decimæ sunt, præstandæ antequam tributorum vel censuum exactiones fiant, c. 33. ex tit. sine deductione feminis ac sumtuum in Mercenarios pro agris colendis & colligendis &c. fructibus factorum, c. 4. c. 7. c. 8. c. 23. X. b. t. hoc se
habet

habet ita in decimis prædialibus, *fecus in perso-*
nalibus, ubi de lucro sunt solvendæ post de-
ductas expensas, c. 28. X. b. t. denique decimæ à
Parocchianis suis sumptibus deferendæ sunt ad hor-
reum parochi, maxime ubi commune & publicum
aliquod horreum pro Decimis destinatum est,
c. 65. caus. XVI. q. 1. & ibi Gl. consuetudine ta-
men passim & præsertim in Germania contrari-
um invaluit, Canis. de Decim. c. 7.

§. VIII.

Eapropter itaque personis Ecclesiasticis Deci-
 mæ attributæ sunt ut exinde commode susten-
 tentur & per eas à cura victus soluti ex peditius
 & securius ministeriis divinis incumbant, etsi pa-
 rocho non solvantur, habet is Rei vindicationem
 si jam à solo separatae sunt; si vero fructus Deci-
 males nondum sunt segregati à reliquo cumulo
 habebit Parochus contra quemcunque possesso-
 rem fructuum adhuc extantium utilem rei vin-
 dicationem aut si non amplius extent saltem uti-
 lem conditionem ex Canone Engel. J. Canon.
b. t. n. 16.

EX JURE FEUDALI.

De Successione Fœminarum.

§. I.

FEuda cum præcipue inter populos bellicosos
 & viros militares orientur & frequentaren-
 tur, hinc consuetudo jam dudum invaluit, ut illa
 non concederentur nisi illis qui servitiorum vel
 equestrium, vel etiam pedestrium capaces sunt.
 Qua-

Quapropter perpetuo fere inter plerasque gentes usu receptum, introductum confirmatum est, ut ista beneficia duntaxat in Masculos conferrentur, & si denique miserationis causa admitti deberent Fœminæ illud saltem in subsidium, si denique sexus masculinus deficeret, fieret Regula itaq; est, Fœminam à successione in feudo excludi, 2. F. 36. 1. F. 8. §. *filia*. 2. F. 11. §. *ad filias*. 1. F. 50.

§. II.

Securitatis autem hujus Fœminas ad emolumentum hoc successorium non admittentis variæ allegantur causæ ; Ipsum Jus Civile agnoscit in multis Juris articulis deteriores esse conditionem Fœminarum quam masculorum. L. 9. ff. *de Stat. Hom.* cujus effectus hic quoque se exerit. Cum Feuda maxime concessa fuerint sub necessitate præstando servitiorum bellicorum aut alias aulicorum hinc jam appareat verecundiam imbecillitatem muliebrem impedimento fuisse huic muneri vel oneri, cum pudorem sexus sequioris lædat, in cœtu virorum versari, quo tamen hic opus fuisset. Fragilitas tum corporis, tum animi obstitit, quo minus ejusmodi Beneficiis dignæ esse censerentur. Vasalli in proelio suos dominos defendere debent, & tanquam Judices sedere inter Pares curiæ si inter dominum & vasallum lis incidat, 2. F. 16. reticere arcana Dominorum 2. F. 6. quæ omnia Fœminis non adeo conveniunt. Accedit honestas publica, inconstantia illarum votorum de quibus *Wurmser de feud. improp.* Class. 3. Sect. III. n. 75. *Wilhelm For-*

Fornerius in Comment. Feud. sub tit. diversa filior. parent. succed. genera vers. Jure Civili filiae, quæ præsertim propter L. 2. ff. de R. I. L. fin. C. de Arbitr. id urget, quod inter Pares Curiae judicare non possit.

§. III.

Hinc est quod licet quis Feudum acquisiverit pro se ac hæredibus suis, pro se ac liberis suis, pariter pro genere, filiis, descendantibus, posteris, & similibus, foeminae tamen, materiae subjectae ratione habita repudientur, 1. F. 13. §. *similiter.* 2. F. 34. *Mynsing. Cent, V. Observ. 72. Gail. l. 2. Observ. 352. n. 20.* Etenim Feuda dantur & hoc intuitu, ut Genus & Familia conservetur quod non per foeminas sed per mares fit, *L. 195. in fin. ff. de V. S. L. 1. ff. de I. immun.* Adeo autem excluditur Foemina ut ne quidem omnibus masculis extinctis & deficientibus succedat, sed potius feudum tanquam apertum redeat ad Dominum & consolidetur cum proprietate, 1. F. 6. §. *si enim.* 2. F. 112. F. 17. Nec admittitur, etiamsi in investitura dictum sit, ut Vasalli descendentis seu heredes masculi & foeminae in eo succedere deberent vel etiamsi quis Feudum pro se & heredibus masculis & foeminis recepisset, scil. quamdiu supersunt masculi. 2. F. 17.

§. IV.

Nec patrocinatorum illarum admisioni illa ratio, quod ejusmodi Foeminae Armis assuere fieri & bellicosae esse queant, per axioma illud sublata causa tollitur effectus, ergo, sublato impedimento imbecillitatis aufertur quoque impedimentum exclusionis; nam Legislatores illa insuper habere solent,

C

solent,

solent, quæ raro accidunt, L. 3. & seqq. ff. de LL. L. ff. si pars hered. pet. & ceterarum exlusioriarum rationum pugnantia argumenta adhuc subsistunt, hinc videtur esse repræhendendus Hier. Garzon in Tract. de Fem. ad Feud. recip. vel non n. 131. qui contendit, appellatione masculi venire etiam viraginem, hæc etenim non sola fuit causa constituentium feudorum, sed quoque sollicitudo conservandarum in splendore familiarum.

§. V.

Ampliatur ita Regula, quæ foeminas non admittit ad successionem feudalem, ut non locum tantum habeat in feudis propriis, verum etiam in impropriis. Quare non succedit in feudo conditionato, arg. c. 1. in fin. 2. F. 23. Nam uno de Feud. naturalibus mutato reliqua secundum propriam feudi naturam dijudicari debent juxta c. 1. 2. F. 4. 8. pariter feudum ligium illi non defertur eo quod præter communem Feudorum naturam adhuc fortius liget, quam cætera, nec Feudæ quamvis in Franco ejus ratio habetur, quamvis alij humanius hoc ad ipsam devolvi præ domino existiment. *Wesembec. Conf. LXXIV. n. 31. p. 2.* Porro nec ipsi prodest conditio feudi emti usque adeo ut nec remissione servitorum interveniente, tam unacum, quam deficientibus masculis exaudiantur, propter defectum textuum, qui contrariam opinionem juvare deberent. Quamvis apud Gallos non tantum hæc emtitia sed & cætera feuda omnia Jure patrimonij censerent, proindeque etiam Foeminas apud istos admitti illustres, Jcti Galli uno ore testentur Faber Tiraquellus, Cujacius in variis

riis

riis scriptis nos autem loquimur de Jure Comuni.

§. VI.

Haftenus de Exclusionem Foeminarum à successione Feudali quæ tamen Regula suis quoque exceptionibus circumscripta est: quarum prima est, si feudum sit mere hereditarium tum enim hoc quoque ad filias devolvitur per textum. 2. F. 18. deinde si sit feudum foemininum, ein Weiber- oder Kuncel-Lehen/ 2. F. 50. 1. F. 8. admittitur non minus, si filia feudum redemerit, 1. F. 24. 2. F. 15. quo in casu filia, improprie succedere dicitur, cum feudum potius ex novo contractu occasione tantum patris inito consequatur.

§. VII.

Pacto præterea speciali foeminæ ad successionem vocari possunt, 1. F. 8. 1. F. 14. 2. F. 2. II. 2. F. 23. 2. F. 50. si pro una tantum filia concessum fuerit dominus eligendi jus habet si plures relinquuntur, denique statuta & consuetudines ejusmodi successiones foeminarum, quamvis Jure Comuni irregulares sint, introducere solent & jamdudum introduxerunt, adeo ut & feuda jurisdictionalia ipsis cesserint, & præcipue in feudis Ecclesiasticis foeminis liber patefactus sit aditus, hinc illud vulgatum *Krumbstab schließt niemand auß*/ de quo *Tumermuth in peculiari tractatu egit.*

§. VIII.

Prædicta omnia tamen non nisi in defectum, sicut jam allegavimus, masculorum sunt intelligenda

genda etsi foemina gradu proximior aut etiam pro masculis & foeminis aut heredibus utriusque Sexus concessum sit, nisi simul & æqualiter aut tam masculi quam foeminæ & foeminæ una cum masculis vocentur verum si foeminæ non succedant, à meliorationibus tamen & pecunia ex feudo redacta nullatenus sunt repellendæ, 2. F. 28. & ibi Aluarott. arg. 2. F. 2. Quod tales pecunia regulariter Jure feudi non censetur; quare & rationis est, ut ipsis alimenta & dos congrua præstentur. Legitimam verò exinde non petere possunt, nisi sit feudum merè hereditarium, aut foemina simul cum masculis succedat.

